

respectu particularium personarum, et ut cesset pro communitate necessarium est causam ita cessasse ut hoc possit communitati constare, ac subinde ut res sit publice nota. Et hoc maxime locum habet quando observatio legis incipit esse injusta; nam tunc evidentius constat de cessatione legis; potest autem dici injusta, non solum quando confert speciale nocumentum, sed etiam quando est omnino inutilis et sine ratione.

13. *Juristarum distinctio examinatur.* — Secundo, potest ex dictis intelligi quam probabilitatem habeat distinctio quam nonnulli jurista tradiderunt inter legem quæ fertur propter tollenda inconvenientia quæ ex aliquo facto frequenter sequuntur, et legem quæ per se fertur propter aliquod bonum et utilitatem. Nam priorem dicunt cessare quoties inconvenientia cessant; posteriorem autem minime cessare, licet cesset ratio utilitatis. Ita insinuat Gloss. in dicto cap. *Si Christus*, de Jurejur., verb. *Cessante*, in principio, et priorem partem probat ex illo textu exemplo juramenti quod prohibetur tantum ratione periculi pejerandi; et ideo cessante periculo, licet. Alteram vero partem probat ex cap. *Dixit Dominus*, 32, quæst. 1, et cap. *Tantum*, 32, quæst. 7, quæ jura nihil ad rem faciunt; nam loquuntur de matrimonio, quod est vinculum indissolubile, de quo alia est ratio. Eadem distinctionem indicat Navarr. in Sum., c. 16, n. 36 et 37, ubi sentit cum Cajet. clandestinum matrimonium (saltem ante Tridentinum Concilium) potuisse licere cessantibus inconvenientibus propter quæ prohibetur; et nihilominus ait, cessante fine legis in particulari, non cessare legis obligationem, quando finis ille erat bonum aliquod acquirendum per medium a lege præscriptum. Unde ibi non solum loquitur de cessatione legis in generali, sed etiam in particulari, ut supra notavi.

14. *Distinctio diligenter notanda.* — At certe formaliter loquendo nulla videtur esse differentia, quia si lex datur propter vitanda incommoda, pro fine habet remotionem incommodorum: ergo eadem est ratio de cessatione illius finis, et de aliis tam in generali quam in particulari. Solum ergo potest esse differentia quædam quasi materialis; nam lex quæ ponitur tantum propter incommoda vitanda non solet præcipere actum per se propter bonitatem ejus, vel prohibere propter malitiam, sed solum propter occasionem mali vitandam, et tunc cessante fine generaliter negative, cessat etiam contrarie, quia actus fit inutilis et

incapax materiæ legis. Sicut diximus alibi de voto facto non ingrediendi talem domum propter vitandam occasionem, ablata inde occasione jam non obligare votum, quia tunc non ingredi talem domum est materia indifferens et impertinens ad religionem: ita ergo proportionem servata erit in lege. At vero lex quæ præcipit actum propter se et propter aliquem bonum finem non statim desinit cessante fine, quia in ipso actu potest manere intrinseca honestas propter quam præcipiatur; si autem non reperiatur, sed sit actus de se indifferens, idem prorsus dicendum erit de lege quæ illum præcipit propter bonum acquirendum quod de lege prohibente illum propter incommodum vitandum, ut ex dictis satis patet. Et e contrario, si lex præcipiens vel prohibens aliquid propter vitandum incommodum habeat materiam per se honestam et convenientem ultra vitandam incommodum, tunc non cessaret lex, etiamsi necessitas vitandi incommodum cessaret, tunc enim procedunt omnia in prima assertionem dicta. In quo etiam attente considerandum est an aliquid prohibeatur ratione periculi, vel tantum ratione futuri effectus; nam ordinarie prohibitio fit propter periculum quod per se inest actui, et ideo licet certe constet non futurum effectum seu damnum, nihilominus non cessabit obligatio legis et effectus ejus, quia semper actus est de se obnoxius illi incommodo, ut in præced. libro latius dixi c. 23. Unde non mihi probatur exemplum de clandestino matrimonio quo Cajet. et Navarr. utuntur; nam illi actui ita est annexum periculum ut nec in generali nec in particulari possit ab eo separari, et ideo nunquam cessat obligatio ejus, eo quod certissimum sit omnia incommoda esse præcavenda. Unde eo modo quod nunc matrimonium factum coram parochio et testibus potest esse clandestinum, ex defectu denuntiationis, juxta cap. ult., § 1 de Clandest. despons., non est licitum tale matrimonium etiamsi negative cesset finis præcepti, nisi alia causæ legitimæ occurrant ob quas per epiikiam judicetur præceptum hic et nunc de illa accidentali solemnitate non obligare. Et hoc modo videtur tandem explicare exemplum illud Navarrus ubi supra.

15. *Quando obligatio fraternæ correctionis cessat declaratur.* — Tertio, hinc obiter expeditur difficultas in capite præcedenti huc remissa de præcepto correctionis fraternæ, cujus obligatio etiam in particulari cessat, cessante spe utilitatis correctionis, ac subinde per cessationem negativam rationis legis;

unde, cum illa spes ut plurimum generaliter cesset, consequenter dicendum erit totum præceptum cessare. Ad quod Medin., Ledes. et Covarr. supra respondent legem correctionis fraternæ datam esse propter privatum bonum singulorum, et ideo in unoquoque posse cessare quoties in particulari cessaverit finis ejus, etiam negative tantum: secus vero esse in legibus, quarum finis communis est et universalis, ut sunt præceptum jejunii, et similia. Sed, ut verum fatear, non satis intelligo distinctionis sensum aut rationem; nam omnis lex est propter commune bonum, licet illud non in communitate immediate, sed in singulis intendatur et acquirendum sit. Sic enim lex jejunii est propter Ecclesiæ bonum; tamen utilitas ejus exercetur in singulis. Ita vero etiam est commune præceptum de correctione fraterna, ejus autem fructus in singulis in particulari procuratur: nulla est ergo differentia. Facilius ergo respondetur, ut attingit etiam Ledes. supra, in correctione fraterna non intervenire epiikiam nec cessationem obligationis propter cessationem finis, quia est præceptum affirmativum, quod non obligat pro semper; nec etiam habet determinatum tempus pro quo obliget, sine qua determinatione, ut supra dixi, non habet locum epiikia. Quando ergo non est spes fructus, non cessat obligatio præcepti affirmativi corrigendi fratrem; sed solum illa obligatio, quæ de se indefinita est, non coaretatur ad hoc tempus, quia recta ratio dictat pro tunc non obligare, quia non est tempus utile, neque subjectum est dispositum. Sicut præceptum eleemosynæ obligat ad subveniendum indigenti; si tamen subventio futura esset nociva, vel si certo constaret indigentem non usurum eleemosyna, non obligaret præceptum, non per cessationem aut epiikiam, sed quia non est talis occasio pro qua obliget illud præceptum, quod naturale est, et non tantum positivum. Adde eo modo quo dici potest cessare ibi rationem præcepti, non cessare tantum negative, sed etiam contrarie, quia tunc correctio non esset actus virtutis, sed otiosus et inutilis, et potest esse nocivus proximo potius quam utilis.

16. *Differentia inter cessationem legis in generali et in particulari.* — Tandem ex his facile est respondere ad rationes dubitandi in principio positas; in quarum prima petebatur difficultas, quia ex dictis videtur sequi non esse differentiam inter cessationem legis in generali vel in particulari, propter cessationem finis tantum negative, cum proportionem,

scilicet, in generali vel particulari: hoc autem videtur esse contra communem sententiam supra relatam. Sequela patet, quia in generali nunquam cessat lex, cessante fine ejus pure negative, sed oportet ut cesset contrarie saltem hoc modo, quod fiat actus inutilis, et consequenter incapax materiæ legis: ac si hoc modo cesset in particulari, etiam cessabit obligatio legis: ergo. Respondeo differentiam in hoc consistere quod, cessante adæquato fine legis modo explicato, consequenter cesset absoluta ratio constituendi legem, quia cum illa cessatione finis est necessario conjunctum, ut materia reddatur inutilis ad legem. At vero si finis in generali subsistat, etiamsi in particulari actu cesset, manet ratio integra communis legis quæ non respicit ad singula, sed ad id quod frequentius accidit: et ideo, licet in particulari cesset negative ille finis, non fit inutilis ille actus, nec in eo cessat contrarie ratio legis, quia semper ratio illa communis potest movere ad illum actum propter commune bonum, et propter conformitatem ad legem, et ad totum corpus, ut capite præcedenti explicatum est.

17. Ad secundam rationem de voluntate principis facile respondetur ex dictis, cum cessante ratione legis in generali eo ipso fiat inutilis lex, et materia ejus fiat incapax obligationis justæ, consequenter necessarium esse ut cesset voluntas legislatoris; tum quia solum voluit juste obligare et quantum licite posset, neque aliud præsumendum est; tum etiam quia facta mutatione in materia legis non posset obligare, etiamsi vellet. Quod si fingatur (ut in eodem argumento additur) cessante priori ratione aliam succedere, ut in tributis dici solet, responsum est priorem legem cessasse et aliam non esse latam. Unde si velit princeps obligare ad eundem actum propter novam rationem insurgentem, oportet ut de novo legem ferat, seu illam voluntatem promulget, alias non poterunt subditi ex vi prioris legis obligari. Tertia vero ratio vel probat primam assertionem, si cessante fine extrinseco legis adhuc materia ejus honesta sit, et propter se conferens ad bonum commune; vel si ratio illa procedat quando omnino cessat finis legis, negatur tunc posse legem licite servari, quia esset actus vanus et otiosus, et licet illemet actus possit forte honeste fieri propter aliam commoditatem particularem intentam ab operante, illud est valde extrinsecum et accidentarium, ut lex prior perseveret, quæ non obligabat ad operandum illo modo

vel propter illum finem. Neque ex tali non observatione legis quæ jam evidenter et publice cessavit possunt sequi moralia incommoda, sicut non timentur ex eo quod lex evidenter et publice injusta non servetur, et majora ex contraria obligatione sequerentur.

18. *Lex quoad unam partem potest reddi inutilis, non quoad aliam.* — Quando lex dicitur suspendi, non extingui. — Denique, juxta hæc quæ diximus de totali cessatione legis, judicari poterit de cessatione alicujus partis legis non respectu personæ vel casus particularis, sed respectu totius communitatis. Potest enim lex plura præcipere vel varia membra continere, et quoad unum fieri inutilis, et non quoad alia. Et tunc idem judicium est de illa parte ejus ratio cessavit, quando est ab alia separabilis, quod de tota aliqua lege: nam est eadem ratio. Imo illa lex quæ videtur una, in re est multiplex, et ita cessat una, licet non cessent aliæ. Si vero lex ita contineret multa ut essent inseparabilia, et ita esset quasi indivisibilis obligatio, quia bonum ex integra causa et malum ex quocumque defectu, attente considerandum est an propter defectum in una parte tota lex reddatur injusta vel inutilis, vel magis nociva quam proficua, et tunc cessabit tota lex: si vero non obstante illo defectu lex justa permaneat, et magis utilis quam nociva, non cessabit ipso facto, donec revocetur. Illud etiam est considerandum, ut lex simpliciter cesset, necessarium esse ut ejus ratio perpetuo cesset generaliter; nam si ad tempus tantum sic cessare videatur, tunc potius suspenditur obligatio legis quam ipsa extinguatur; quia non fit simpliciter inutilis vel injusta, sed tantum pro hoc tempore, et ideo limitata causa limitatum parit effectum; ergo suspenditur lex, non extinguitur.

CAPUT X.

DARINE POSSIT DISPENSATIO IN LEGE HUMANA, ET QUID ILLA SIT.

1. *Dispensatio, abrogatio.* — Postquam de cessatione legis dictum est, sequitur dicendum de mutatione ejus seu ablatione per actionem extrinseci agentis habentis potestatem ad tollendam; quæ duplex etiam esse potest, scilicet, partialis, quam nunc comprehendimus nomine dispensationis, et latius dici potest derogatio legis; et totalis, quæ dicitur legis abrogatio. De hac posteriori dicemus postea, hic vero de priori tractamus, et non de omni, quia non

omnis derogatio legis est propria dispensatio, ut explicabimus, sed de illa tantum quæ propriam dispensationis rationem habeat, sub qua nunc commutationem comprehendimus; nam ad dispensationem reducitur, ut capite sequenti declarabo. Unde supponere oportet dispensationem de qua tractamus diversam omnino esse ab interpretatione quæ per epikiam fit, sive in casu evidente aut probabili, sive in casu dubio, in quo auctoritas superioris postulatur. Licet enim hæc nomina soleant confundi, distingui nihilominus debent, ut in discursu latius et commodius explicabo. Epikia enim non est actus jurisdictionis, sed doctrinæ et prudentiæ, ut supra visum est: dispensatio autem de qua tractamus est actus jurisdictionis, ut videbimus. Interpretatio autem in casu omnino dubio, licet præter prudentiam jurisdictionem requirat, non supponit obligationem legis certam, sed potius in dubio declarat illam cessasse, non autem in rigore aufert illam. Dispensatio autem de qua tractamus supponit obligationem legis etiam certam, et fertur ad tollendam obligationem, etiamsi præexistat. Unde fit ut in lege divina habeat locum interpretatio hominis, etiam in casu dubio, non vero dispensatio, ut infra lib. 7 dicam; at vero in lege humana non interpretatio tantum in casu dubio, sed etiam propriissima dispensatio in casibus in quibus de præexistente legis obligatione nulla poterat esse dubitatio, concedi per hominem potest.

2. *Superior dispensare potest cum certa persona, lege obligante quoad alias.* — Et quidem quod ad rem spectat, nullus dubitare potest quin obligatio legis humanæ certo præexistens et ligans talem personam possit per superiorem ex causa auferri, manente obligatione legis in reliqua communitate. Ita communiter doctores, et primum allegari possunt omnes qui de voto hoc asserunt, quos retuli lib. 6 de Voto, c. 9. Deinde de lege idem tradunt Durand. in 1, d. 47, q. 4, n. 6; Richard., in 4, d. 17, a. 2, q. 7; Scot., in 3, d. 37; et ibi Gabr., not. 3; Soto, lib. 1 de Justit., q. 7, art. 3; Ledesm., in 4, 2 d., q. 5, art. 6, et q. 17, art. 3; optime Turrecremat., in c. *Sicut quedam*, d. 14, et in § *Nisi rigor*, post cap. *Requiritis*, 1. q. 7; Rebuf. in Pract., p. 2, tit. de Dispensat., n. 1 et 2, ubi alios canonistas refert; Covar. in 4, 2 p., cap. 6, § 9, n. 42, ubi alios etiam refert, et idem supponit Navar. in Sum., prælud. 9, n. 17. Et res est manifestissima tam in jure quam in usu. Hac enim ratione Augustinus, Epist. 50, dispensationem vocavit *vulnus*

contra integritatem severitatis, et habetur in cap. *Ipsa pietas*, § *Si inquirat*, 23, q. 4; et Gelas. Papa, in cap. *Necessaria rerum dispensatione*, 1, q. 7, vocat illam relaxationem, moderationem ac temperamentum canonum patrum, quæ fieri potest diligenti consideratione adhibita; sic etiam dixit Cyrillus in epist. ad Gennadi.: *Dispensationes nunquam cogunt parum a debito exire*; et infra: *Dispensationum modus nulli sapientum displicuit*, cap. *Dispensationes*, 1, q. 7, prout in decreto gregorio habetur; et similia sumuntur ex cap. *Tanta*, et cap. *Si qui*, eademque et aperte ex cap. *De multa*, de Præbend., ubi post rigorosam prohibitionem de pluritate beneficiorum subditur: *Circa sublimes tamen, et litteratas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ, cum ratio postulaverit, poterit per sedem apostolicam dispensari.*

3. Unde etiam aperte hoc confirmat usus; nam certe cum Papa dat licentiam alicui habendi plura beneficia, non declarat in illo cessasse legem ex præexistente causa, idemque in lege jejunii, in modo observandi censuras, et in aliis privilegiis evidenter quotidie fit. Unde incredibile est D. Thomam, 1. 2, q. 97, art. 4, intellexisse in legum relaxatione solum habere locum interpretationem in casu dubio, non vero rigorosam dispensationem per ablationem obligationis certo præexistentis, ut aliqui illi imponunt; et in eadem sententiam allegatur Cajetan. ibid., et Anton., 1 p., tit. 17, § 20; incredibile (inquam) est in re tam clara tales theologos, et præsertim D. Thomam hallucinasse. Unde D. Thomas, quodlib. 19, art. 15, expresse dicit: *Dispensatio humana non aufert ligamen legis naturalis, sed positivæ.* Auferre autem ligamen non est interpretari. Item hoc modo etiam potest interpretatio humana authentica auferre ligamen juris naturalis in casu dubio; et in dicta q. 96, art. 6, ad 3, negat cadere in jus divinum dispensationem, cum tamen id non posset de interpretatione negare. Idem latius quodlib. 4, art. 13. Denique in 4, dist. 38, quæst. 1, a. 4, expresse distinguit dispensationem per modum relaxationis juris vel per modum declarationis, et primam etiam admittit in voto, et in dicto cap. 9 ostendi nunquam D. Thomam mutasse illam sententiam, et modum loquendi ejus in illa materia declaravi. Idem ergo a fortiori sentit de lege, et ita etiam in dicto art. 6 exponendus est, ut magis statim exponam. Et Antonin. clare idem sentit. Nec Cajetanus aliud docuit quam D. Thomas. Adde fa-

teri Cajetanum dispensationem in lege humana sine causa datam esse validam; at illa non potest fieri per declarationem, ut est per se evidens; ergo. Unde omnes qui idem tenent, quos infra referemus, hoc idem necessario sentiunt.

4. Quod ergo ad rem spectat, certum est propriam dispensationem legis cadere in legem obligantem et tollere obligationem ejus in particulari casu vel persona; et ratio est clara, quia sicut lex humana a voluntate humana orta est, ita per eandem tolli potest, et quia ad humanam gubernationem erat hæc potestas necessaria in hominibus, ut infra latius dicitur. Quod vero spectat ad nomen dispensationis, negari non potest quin late soleat etiam interpretationem significare: nam communis usus sapientum id observat, ut constat ex D. Thoma et Bonaventura 4, d. 38; Scot., Gabr., Duran., Anton. et aliis, et ex Specula., tit. de Dispensatio., § 1, et fere ex communi usu canonistarum. Hoc autem nihil obstat propositæ veritati quam de re ipsa explicuimus.

5. Ut autem hæc resolutio et tota materia exactius declaretur, ratio propria dispensationis accuratius declaranda est. Et imprimis supponimus dispensationis vocem ex primaria impositione distributionem seu administrationem significare; nam dispensator in latina proprietate administratorem domus vel familiæ significat, cujus est dispensatio; quæ significatio non solum in jure civili, l. *Dispensatori*, ff. de Solut., et l. *Urbana*, 166, de Verborum significatione; sed etiam in Testamento veteri est valde usitata, Genes., 43, 44, et 3 Reg. 18. In novo autem Testamento translata est hæc vox ad significandum specialem et ecclesiasticum administratorem, ut Lucæ cap. 12: *Quis putas est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*; hoc est ergo munus dispensatoris; actus vero declaratur dum subditur: *Ut det illis in tempore tritici mensuram*: distributio ergo munerum, actionum et bonorum Domini inter eos qui sunt de familia, generaliter dici potest dispensatio. Et sic Apostoli et eorum successores dicuntur dispensatores mysteriorum Dei, 1 Corinth. 4, et 1 Pet. 4; et actus respondens illi muneri dicitur dispensatio, 1 Corinth. 9: *Dispensatio mihi credita est*, in qua significatione etiam Evangelii prædicatio dispensatio dicitur, ut ex eodem loco constat, et ex Michaele Papa, in cap. *Dispensatio*, dist. 43; et sacramentorum minis-